(8

AD
EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINUM
S. R. E. CARDINALEM
SIGISMUNDUM DE KOLLONITZ
ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM
EPISTOLA.

EMINENTISS. ET REVERENDISS. DOMINO
S. R. E. CARDINALI
SIGISMUNDO DE KOLLONITZ
ARCHIEPISCOPO VIENNENSI

A. M. CARD. QUIRINUS
S. R. E. Bibliothecarius, & Episc. Brixien.



Uamvis in plerisque omnibus literis Tuis, Cardinalis præstantissime, quibus benignissime in more habes certiorem me facere, gratas Tibi accidere tenues lucubrationes meas ad oppugnandos Heterodoxorum errores compositas, apertissima mihi sese offerant argumenta studii prorsus singularis, quo ad exoptandum adduceris, ut istæ fructum illum referant, cujus causa evulgantur, haud ullæ tamen ex iisdem literis adeo luculenter me de egregio eo animo Tuo edocuerunt, ac postremæ, quas dedisti die decimo octavo mensis Januarii proxime elapsi. Per eas scilicet benevole a Te exceptam fuisse significans itineris mei Bavarici recens Tibi transmissam descriptionem, palam una simul comprobasti, unum ferme fuisse quod Te in ejusdem lectione afficeret, nempe conatus, quos perspexisti assiduo, enixoque studio a me impendi, ut Catholicorum dogmatum lumen in eorundem Heterodoxorum mentibus exoriatur. Putassem ego, delectare Te in meo illo Commentario aliquantulum posse, Italum Cardinalem contemplari, qui, etsi haud mediocriter ætate progressus, tantum erga Germaniam Tuam, Diœcesis suæ finibus conterminam, amorem præseferat, ut autumnalis vacationis tempus non quidem in revisenda chara Patria, seu Romana urbe, quæ pari-

ter loco Patriæ ipsi esse debet, neque in amœna aliqua rusticatione fruenda, insumere decreverit, sed in ejusdem tantum Germaniæ Academiis, Bibliothecis, atque Cœnobiis lustrandis, idque equo vectus, quod viæ procul a regia ad ea Cœnobia deferentes vehiculi genus aliud vix, aut ne vix quidem patiantur. Tu tamen nulla propemodum ratione habita ejus laudis, quam ex meis hisce peregrinationibus redundare quis censeret in regiones haud levi certe cum incommodo a me perquisitas, unice in legendo illud Itinerario mentem advertisti ad Catholicæ Religionis utilitates, quibus domi, forisque curandis qualemcumque meam jamdiu desudare industriam, ex eodem innotescit. Quod scopus igitur iste propagandæ Fidei Catholicæ, Christianique ovilis amplificandi mihi propositus studium Tuum, dum Commentarium illum evolveres, ita excitaverit, ut reliqua in eodem narrata incogitanria veluti quadam transegeris, hoc mihi certissimam fidem facit, sacri pectoris Tui curas maximopere sibi vindicare quidquid ad eundem scopum quoquo modo conferre posse arbitreris.

Sanctissimos istos mentis Tuæ sensus postquam compertos mihi reddiderunt Tuæ præsertim literæ nuperrime ad me datæ, vix credas, quam valide extimulari persenserim animum meum ad provinciam, quam ante susceperam, magis, magisque procurandam, ac præsertim ad nova investiganda documenta, unde evidentius constaret, injustam omnino fuisse Lutheri, aliorumque Sectariorum ab Ecclesiæ Romanæ consortio secessionem. Nosti jam, quodnam ad impetendam eandem secessionem armamentarii genus mihi paraverim ex Editione, cui incumbo, Reginaldi Poli Cardinalis Epistolarum, aliorumque ad ipsum, & quomodo meridiana luce clarius ostenderim ex commercio epistolico, quo idem Cardinalis, ejusque Collegæ secum invicem familiariter admodum conferebant de gravissimis Religionis negotiis suæ curæ a Paulo III. commissis, negotia ista ab iisdem Proceribus adeo sancte, & sapienter administrata fuisse, in primis vero quæ ad Ecclesiasticæ Disciplinæ reformationem, in Curia Romana maxime

sta-

ſtatuendam, ſpectarent, ut quotquot ſincere Chriſtianæ Reip. bonum expeterent, non alia ratione voluntatem hanc commonſtrare potuiſſent, quam illorum Procerum veſtigia perſequendo. Nova, quæ, ut dixi, perlectis illis literis Tuis inveſtigare cœpi documenta, accipe, quo pacto Deus effecerit, ut cito mihi occurrerent. Ex impoſita mihi perſona a SS. D. N. (rem jam intellexiſti) Cardinalis Auguſtini Valerii, perlegi primum Hiſtoriam ab hoc conſcriptam Anni Sancti Clemente VIII. Pontifice celebrati, deinde vero alias ejuſdem ſanctiſſimi, & doctiſſimi Viri lucubrationes, quotquot in publicam lucem promanaſſe comperiuntur. Eandem nondum vidiſſe detexi, & vehementer dolui Opuſculum adoleſcenti Polono inſcriptum, hocque titulo exornatum, *Quatenus cum iis, qui a Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio receſſerunt, ſit verſandum*. Hocque ipſum eſt, quod Deus fecit, ut cito mihi occurreret; ſiquidem illud liberaliter mihi obtulit Petrus Antonius Albertinus, Provicarius generalis Veronæ, Vir non rerum tantum Epiſcopalis Curiæ, ſed aliarum etiam doctrinarum peritia inſignis. Avide igitur, amantiſſimeque idem amplexatus, imo deoſculatus, ſtatim dignovi, jure ac merito ipſum probatum fuiſſe Roberto Cardinali Bellarmino, cui legendum Romæ Author præbuerat, etſi hic nimis modeſte nunquam adduci potuiſſet ad illud diligendum. Factum iſtud utrumque teſtatur ipſe in libello, quo Scriptiones ſuas recenſuit, moxque ibidem ſubdit, *Ita ſit, quemadmodum deteriores filios interdum parentes diligunt magis, quam bonos, ita minus bonos libros pluris faciamus, quam elegantes, & magis utiles: ita decipimur ſæpe, præſertim in rebus noſtris*. Decepit (ſi ita mihi loqui fas eſt) Valerium ejus modeſtia, nec aliter abſque dubio judicabis, Domine Eminentiſſime, quum Opus iſtud perlegeris, digniſſimum utique, ſive elegantiam, ſive bonitatem, ſive utilitatem ſpectemus, ſuo parente, atque inſuper Epiſcopi gradu, quem jam iſte obtinebat, dum ipſum S. Pio V. Pontifice conſcripſit, & gradu etiam Cardinalis, ad quem paulo poſt eundem Gregorius XIII. evexit. Dixi, utroque eo gradu digniſſimum a me cenſeri Opus illud, quod ipſemet

 ſemet

ſemet Valerius pluribus locis affirmet, Epiſcoporum, & Cardinalium munus maxime eſſe, Scriptiones ad tuendam Catholicam veritatem evulgare. Quod attinet ad Epiſcopos, mentem ſuam aperit initio ipſius Commentarii, de quo agitur; nam Polonum adoleſcentem his verbis affatur, *Ideo ſcribo, quia præclaram tuam, & vere nobilem, & Chriſtiano dignam voluntatem erga communem Matrem Sanctam Eccleſiam, & ſtudium, quo excellis, purgandi gregis Chriſti, iſta tua adoleſcentia non modo vehementer probandum, ſed omnibus rationibus alendum eſſe exiſtimo a nobis præſertim, quos in ſortem ſuam Deus elegit, quos ſponſæ ſuæ chariſſimæ D.N.Jeſus Chriſtus cuſtodes in Eccleſiaſtica Hierarchia conſtituit*. Et infra, *Multo magis* (Juriſprudentiam, Medicinam, & Mercaturam nominaverat) *ſine dubio probanda ſunt ea ſtudia, quæ magis ad juvandam Chriſtianam Remp. & gloriam Dei pertinent: inter quæ nullum magis Deo placet, nullum magis cum ejus gloria eſt conjunctum, & cum populi Chriſtiani utilitate, quam id quod ponitur in extirpandis hæreſibus*. Subdit tandem, ſtudium hoc proprium eſſe Epiſcoporum, & quandoquidem ſatis ipſi eſſe non poſſint tanto muneri implendo, *Tunc donet* (inquit) *neceſſe eſt Dominus ſpiritum ſcientiæ fidelibus ſervis ſuis, ut cauſam communem defendant, ægris mentibus, & labe infectis animis opem ferant*. Quod vero ſpectat ad Cardinales, in eo libello, quo Cardinalis ideam Valerius expreſſit, quemque S. Carolo Borromæo nuncupavit, ita legitur, *Quod ſi, ut nonnulli ex ſacro illo Collegio fecerunt, & adhuc ſunt, qui magna cum laude id poſſunt facere, libros ſcribat populo Dei utiles, quibus hæreſes confutentur, ampliſſimo loco, quem in Eccleſia Dei tenet, ſplendorem addit non minimum, & in hoc maxime Romani Pontificis frater, qui tanto ſtudio ejus auctoritatem tuetur, & Sanctæ Eccleſiæ optimus filius, qui ejus limites fortiter defendit, agnoſcitur. Eſt præterea cuſtos depoſiti, & Apoſtolicarum Traditionum, ab omni novitate, utpote omnium ſeditionum, & variarum calamitatum altrice in populo Dei, alieniſſimus.*

Annon ergo, Cardinalis optime, gemma me potitum exiſtimem, propterea quod eum Valerii Commentarium poſſide-

fideam? Gemmam dixi, quod tanti parentis sit fœtus, quod argumentum in eo pertractetur, cui studia mea devovi, quod denique implendis Episcopi, & Cardinalis partibus, quas præsertim sitas esse Valerius, ut audisti, pronunciavit in scribendis libris, unde hæreses confutentur, multo aptiorem me efficient lucubrationes ex alieno, quam ex proprio mei ipsius penu depromptæ. Novum autem gemmæ isti pretium accedat, oportet, si cælatum in eadem compareat præclarissimum nomen Tuum. Is quippe es, qui Romanæ Purpuræ, & Episcopalium Infularum splendorem maximis virtutibus augeas, zelo in primis Christianum ovile amplificandi, quem superius collaudavi, quove præcordia Tua vere inflammari vel unum votum hisce verbis in Epistolæ Tuæ calce declaratum abunde demonstrat, *Piaccia alla divina alta sapienza ch' illumina il nostro Santo Sommo Pontefice, suo Vicario, che ciò succeda* (loqueris de Sectariorum ad Romanam Ecclesiam adiunctione) *sotto il suo Apostolato.* Sic equidem animo & ipse duco, futurumque reor, dum recolo eventus secundos, quos ferunt aspera certamina, quibus Heterodoxos omnium fere Germaniæ partium lacesso. Ea acerbitas haudquaquam officit, quominus singularis prorsus humanitatis officiis nomen meum jugiter honestare iidem haud dedignentur. Nec defuerunt inter ipsos, qui disertis verbis professi sint, Ad sapientiam Cardinalium Poli, Contareni, Sadoleti, aliorumque integerrimorum Virorum, quos vocatos, rogatos Paulus III. in amplissimum Ordinem adscivit, nil aliud fuisse Lutherum, quam Thracium hominem, cujusmodi A. Gellius describit, ruris colendi insolentem, quippe qui, ut ager mundus, purusque fieret, ejusque arbor, & vitis fœcundior, tantam ligni, frondiumque cædem fecit, ut frugifera quævis everterit, *mala mercede* (in hunc modum narrationem suam claudit Gellius Noct. Atticar. l. XIX. c. XII.) *doctus audaciam, fiduciamque peccandi falsa imitatione eruditus*. Haud pariter defuit inter eosdem, qui de meis adversus Schelhornium, & Kieslingium disputationibus judicium hoc ferret, *Quam docte, & acute Burnetii, & aliorum, qui partium studio abrepti de tan-*

ti

ti viri (Cardinalis Poli) *memoria detrahere ausi sunt, commenta, & calumnias profligasti! ut qui eas in posterum repetere velit, se omnium ludibrio expositurus sit... Quanta gravitate, quam invictis argumentis Kieslingium, Pauli III. Pontificis maximi in sacris emendandis studium non modo perstringentem, sed, quod deterius est, negantem, refellis!*

At judicia hæc privatorum hominum, etsi insigni doctrinæ fama inter suos floreant, nimis quantum exsuperat Goettingensis Academiæ Senatus-Consultum, quo ipsa statuit Episcopatus mei Brixiensis Vicennalia celebrare, typisque excuso libello, cujus centena exemplaria dono mihi transmittere dignata est, universæ literariæ Reip. suam illam erga me benevolentiam pernoscendam dedit. Quod autem magis mirandum, eidem libello inserere non refugit Epistolam per aliquot menses ante Senatus-Consultum illud ad Feverlinum Goettingensem Professorem a me datam, quamvis in ipsa complexus fuissem maximi momenti rationes ad Catholicam causam juvandam. Insuper, ad libelli illius calcem excusa visuntur in mei memoriam Numismata duo, illustranturque pluribus Adnotationibus a Coelero in eadem Academia Historiæ Professore. Rarum hoc comitatis hominum illorum monumentum, cui forte non aliud simile in Ecclesiasticis Annalibus deprehendatur, adeo non sunt aversatæ reliquæ Heterodoxorum Universitates, ut plausu potius illud exceperint, quemadmodum fidem faciunt publica folia, ex quibus nuperrime meas ad manus pervenit Tiguri impressum die 29. Jan. 1749., & egregia Pauli III. gesta ita collaudans, perinde ac si injuria a Protestantibus ea carpi consueverint. De Goettingensi Academia hoc etiam addam, pro augenda, seu firmius stabilienda Apostolici in iis partibus Missionarii mercede ut deprecatorem me sisterem Romanæ Congregationi de Fide propaganda, seu ipsi Summo Pontifici, preces suas ad me interposuisse, quemadmodum fecerat idem Missionarius, atque una cum ipso complures Goettingenses incolæ, orthodoxæ Religioni addicti, ita & ex publicis Professoribus unum. Hæc res effecit, ut quum nunciatum mihi nuperri-

me

me fuifset a Domino Cardinali de Alfatia, centena', & centena bonorum Hanoveranorum in Belgio militantium fubinde hæresi ejurata ad Catholicam Fidem profitendam se contulifse, eidem Cardinali, quem ftudio ejufdem Fidei promovendæ nemini, æque ac Te, fecundum, quotquot ad me literas fcribit patefaciunt, refponderim, Deo favente modum non defuturum, ut pares eorundem tranfitus non centeni tantum, fed milleni in pofterum contingerent. Demum Templum Catholicis hominibus in Urbe Berolinenfi ex Regia Principis illius indulgentia hac tempeftate erectum, meliora valde quam antea fata Catholicæ Religioni in illis partibus portendere quum intelligam, haud renuo quidem magnificæ illius Ædis curam pro viribus meis capere, quam nimirum teftantur literæ ad Berolinenfem Academiam ante decem circiter menfes a me datæ, at una fimul inculcare non defino, multo magis cordi mihi effe, *ut quod corporalibus proficit fpatiis, fpiritualibus amplificetur augmentis*, coagmentatione fcilicet vivorum lapidum ad Ecclefiam Chrifti fponfam. Id ipfum iteravi in nuperrimis literis ad ejufdem Academiæ Secretarium, quibus demonftrare fufcepi, per fummam calumniam a Luthero in quamplurибus Scriptionibus fuis reprehenfos fuiffe Catholicos de Sacræ Scripturæ contemptu, attulique ad eam rem indubia documenta affidui, enixique ftudii, quo divinum illum Codicem, comparata etiam Orientalium linguarum peritia, verfare in more habuerunt, vel eo tempore, quo gravibus Legationum ultra montes curis diftinebantur, Romani Proceres fuperius nominati.

Hifce omnibus fuperefset adhuc quod adderem, nifi factis omnino certis, quæ hucufque in medium adduxi, quidpiam dubitationi obnoxium fubjungere vererer. Addam tamen. Scripfit ad me celebris Profeffor Heterodoxæ Univerfitatis ab uno circiter menfe Epiftolam, cui hoc fecit exordium, *Acciderunt mihi his ipfis diebus, quibus gratiofiffima Tua, Eminentiffime Princeps, reddita funt litera die XII. Decemb. data, fata longe triftiffima, & faluti mea oppido minacia; nec poffum quin Virgilii utar ftropha,*

Nox

Nox ruit, Æneas, nos flendo ducimus horas,
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas.

Ex literæ a capite ad calcem scatent querimoniis, quin tamen earundem scriptor mœroris, quo premitur, causas distincte declaret, solumque apertis verbis fatetur, pertæsum se esse vitæ Academicæ, commodamque expectare publici muneris mutationem. Literis hisce acceptis placuit mihi vaticinari, per bivium, cui designando adhibita fuit Virgiliana stropha, intelligi forte scribentis animum, anxium veræ Religionis dignoscendæ; ac proinde confidenter reposui, viæ hujusmodi duces omnino fidos meas eidem jamdiu commonstrasse lucubrationes, hos ergo sequeretur, longius pedem referens ab anfractibus, quibus certo certius in abruptum barathrum deferatur. Ridebit iste, ut puto, quum responsi tradendi tempus advenerit, meam illam interpretationem, non ideo tamen me pœnitebit credulitatis meæ ex amore erga hominis illius æternam salutem profectæ.

Dum lætis hisce, quas hucusque exposui, cogitationibus animum pascerem, quod mihi omnino videretur ad subsequuturam nostra hac tempestate Ecclesiæ pacem proludere *altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei*, extra modum lætatus sum Tua illa Epistola accepta, qua in certioris adhuc ominis argumentum, Apostolatus Benedicti XIV. mentionem injecisti. Ego quoque quam ingentem spem in eo ipso Apostolatu pro obtinendo cœlitus emolumento, de quo agitur, posuerim, affatim comprobant bina Bavarici mei Itinerarii Sanct. Suæ inscripti loca. Namque p. VI. disertis verbis sum ominatus: Fore, ut Pontifici, admodum sollicito de augendo Cœlitum canone viæ a divina Providentia pandantur æque utilem præstandi sollicitudinem ad amplificandum Christifidelium gregem, unde major cultus eidem Christo, ejusque Sanctis tribuatur; & p. XI. in eum ipsum ferme sensum Pontificem ita compellavi: Fore, ut ex supremi sui Apostolatus cura Christi Ovile dilatetur, cœlique sedilia uberiori civium conventu frequententur, pari ratione ac civium ea sedilia complentium nomenclatura sapientissimis Ejus consiliis, multo frequentius quam unquam antea, post innu-

innumeras inquisitiones, quas negotii natura deposcit, propalatur. Magna affinitas inter ambas istas sollicitudines cur non faciat, ut SANCTITAS SUA de utraque æque glorietur? Primæ illius sollicitudinis partes quam egregie semper impleverit, luculentissime testatur SANCTITATIS SUÆ Epistola Cardinalibus Sacrorum Rituum Congregationi Præpositis, ejusdemque Congregationis Consultoribus inscripta, ac præmissa quarto Volumini Operis de Beatificatione, & Canonizatione Edition. Bonon. rursusque Volumini primo Edit. Patav. In ea enim Epistola ita legitur, *Neque porro aut multiplicia Romanæ Curiæ negotia, quæ nos primis a suscepto Promotoris* (Fidei) *& Consultoris* (SS. Rituum) *officio temporibus non mediocriter exercebant, aut nova, quibus deinceps liberaliter aucti sumus, eaque gravissima munera a Secretis Concilii, Consultoris S. Officii, Doctoris Sacrorum Canonum in Foro Pœnitentiariæ, & alia quamplurima, in quibus sive considerandis, sive gerendis nostra assidue opera Summi Pontifices utebantur, nos aliquando tenuerunt, quominus, & (quod Promotoris esset) accurate scribendo, & (quod Consultoris) ad singulos Sacrorum Rituum Conventus sedulo accedendo, utriusque officii partes impleremus.* Pari, quin majori (nam res id prorsus exigit) sedulitate, atque assiduitate videre jam mihi videor BENEDICTUM XIV. incumbentem, ut omen, quod dixi, impleatur. Crederes? His ipsis diebus quibus hæc scribo, Hominis heterodoxi, cui jam innotuerant & mea illa fiducia, & sanctissimus ejusdem Summi Pontificis animus, atque imminens Anni Sancti Solemnitas, literæ ad me pervenerunt, in quibus post plura de mea Epistola ad SANCTITATEM SUAM data die VII. Januar. hæc ille habet, *Vous n' oublieres pas, Monseigneur, de dire au moins, qu' il y a toute esperance, que les heterodoxes se convertiront jusq' au Jubilè prochain la plus part d' entre eux, au moins les plus clairvoyans, reconnoissant deja le tort qu' ont eu Luther, Calvin &c. de se separer de l' Eglise Universelle, & de causer de si grands scandales, & reconnoissant aussi l' avantage qu' a la Communion Romaine, d' avoir au Timon de l' Eglise le Pape Regnant, si sçavant, & si zelè.* Sanctitati, &

do-

doctrinæ BENEDICTI XIV. uberes tribui laudes ab ipsis Heterodoxis, compluribus documentis edocemur; etsi unum sufficeret Judicium Operis de Beatific. & Canoniz. ex Actis Eruditor. quæ Lipsiæ vulgantur, petitum, quod, licet sexdecim magnas, & quidem minuti characteris impleat paginas, consulto Editionis Patavinæ Volumini I. præfixum visitur.

Tali igitur, tantaque etiam apud Heterodoxos existimatione florentem supremum Catholicæ Ecclesiæ Hierarcham selegisse sibi Vicarium Christus censendus est hac tempestate, quo ejus Apostolatus decus foret redintegrata Christianarum omnium Ecclesiarum concordia. Sacri belli, per quod ista ante ducentos circiter annos discissa fuit, maximum se actorem præbuit Saxoniæ Princeps; modo vero Saxoniæ imperat, qui Orthodoxam fidem profitetur. Palatinatus totus olim hæresi infectus, in præsens subest Catholico Domino, & maxima ex parte a Catholicis incolitur. Prussiæ denique Monarcha, quem admiranda plurimarum rerum, & artium intelligentia pollere fama undique concelebrat, quam valde nunc faveat Catholicorum commodis, nemo est qui ignoret. Annon ergo dicenda est divina Sapientia BENEDICTO XIV. viam sternere, de qua loquor? Itaque hoc quoque loco fas mihi sit innovare eas ipsas preces, quas in Præfatione ad Bavaricum meum Itinetarium SANCTITATI SUÆ obtuli: Ut scilicet conatus pro modulo meo impensos ad demulcendos, devinciendosque Acatholicorum animos, Ipsa perficiat, confirmet, solidetque, consiliis, cohortationibus, amplissimis a Deo propositis præmiis Reges terræ paterna authoritate adducendo, ut sibi præclarissimum Opus istud persequenti obsecundare non recusent. O fortunatum BENEDICTI XIV. Apostolatum, si tanti boni ex voto Tuo, Eminentissime Præsul, compos tandem evadat! O me ter, & amplius felicem, si ejusdem voti postrema quoque pars ista impleatur: *E succedendo, chi non vedrà quanto con le sue lunghe, e virtuose fatiche vi avrà Ella influito, e cooperato?* At quam leves, quam viles labores isti, quum ruber pileus, quem gestamus, sanguinis alacriter effundendi necessitatem nobis imponat!

Apprecor demum Eminentiæ Tuæ prospera omnia.

Brixiæ die XII. Februarii MDCCIL.

AU-

AUGUSTINI CARDIN. VALERII
EPISCOPI VERONENSIS
Ad Nicolaum Tomiſcum Polonum
Quatenus cum iis, qui a Sanctæ Matris Eccleſiæ gremio receſſerunt, ſit verſandum,
LIBELLUS.

IN magnis occupationibus meis ſcribo ad te, Nicolae, qua ratione, & quatenus tibi verſandum ſit cum illis, qui a S. Matris Eccleſiæ gremio videntur receſſiſſe, quandoquidem in Patria tua, in iſto Poloniæ Regno, ut audio, ita permittente Deo, permittitur Catholicis permixte cum non idem ſentientibus vivere; & ideo ſcribo, quia præclaram tuam, & vere nobili, & chriſtiano dignam voluntatem erga communem Matrem Sanctam Eccleſiam, & ſtudium quo excellis purgandi gregis Chriſti iſta tua adoleſcentia non modo vehementer probandum, ſed omnibus rationibus alendum eſſe exiſtimo, a nobis præſertim, quos in ſortem ſuam Deus elegit, quos Sponſæ ſuæ chariſſimæ D. N. Jeſus Chriſtus cuſtodes in Eccleſiaſtica hierarchia conſtituit; atque hoc quidem eo libentius facio, quum hac de re ſcribens ad te, amori erga te meo, & veteri benevolentiæ erga Nationem Polonam, cujus uſque a primis annis, dum Patavii ſtudiis operam darem, fui amantiſſimus, videor indulgere. Obſequor etiam Antonii Mariæ Gratiani, qui te mirifice diligit, & ſæpe ad hoc eſt adhortatus, voluntati. Sed unde hunc libellum exor-

exordiar adhuc sum dubius. Te laudem, quod adolescens, periclitantibus multis natu majoribus, e variis perversarum opinionum fluctibus te in portum salutis receperis, & saluti tuæ, & amicorum consulueris? quanquam si recte consideremus, hæc laus jure Deo tribuenda videatur, sine cujus præcipuo auxilio ista ætate te ipse e tam procelloso mari eripere non potuisses; nonnihil tamen etiam ad te potest pertinere, quippe qui Deum audieris, Spiritui Sancto, qui in Ecclesia semper præsto est, non restiteris, Soli cœlesti radios suos emittenti mentis, & cordis fenestram aperueris. At rectius a gratulatione, ut ego quidem arbitror, est exordiendum, cum ob humanam infirmitatem in hac vita quispiam nec alios laudare, nec ipse laudari sine periculo possit. Laudetur igitur bonorum omnium æternus Auctor, & cœli, & terræ Dominus, qui mirabilia semper facit, & te tanta virtute ornavit, ut proximis mensibus Patavii amicum tuum pravis opinionibus imbutum ad Fidei sinceritatem rationibus multis revocaveris; qui tibi hunc spiritum dedit, ut sæpissime dicas, nullum alium finem tuorum studiorum, ac laborum tibi esse propositum, nisi ut amicos, affines, & parentes tuos ad Sanctæ Matris Ecclesiæ gremium possis adducere. Divitiis, honoribus, humanarumque rerum doctrina non est sane cur quispiam debeat merito gaudere, cum usu ita comparatum sit, ut illis bonis plerumque abutamur. Divitiæ contume-

meliæ & incontinentiæ, honores invidiæ & detractionis, scientiæ curiositatis & superbiæ occasiones fiunt quamplurimis illis abutentibus. Hoc solum gaudendum est, quod filii Dei sumus adoptivi, Fratres Christi, ejus sanguine a tyrannide Diaboli liberati, quod ejus benignitate peccata nobis remittantur, quod ejus Sponsa Spiritu Sancto edocta, magistra nobis sit relicta, cujus præceptis si paruerimus errare minime possimus. Fides est, quæ nos filios Dei efficit: hanc charitate, quæ est reliquarum virtutum omnium veluti anima, formatam sequuntur prudentia, justitia, modestia, patientia, & reliquæ christiano homine dignæ virtutes, quibus, & solis est gaudendum.

Quamobrem ego, qui te ob præclarum ingenium, & morum probitatem vehementer amo, tibi vehementer gratulor. Mulierem stultam, & clamosam, nihil omnino scientem, sedentem in foribus domus suæ, in excelso urbis loco, de qua Salomon in Proverbiis, D. Hieronymus interpretatur Hæresim. Justa gratulatio, justissimum gaudium, quod a blanditiis insanæ hujus meretricis aufugeris, quod divino auxilio adjutus ab ejus amplexibus te ipse abstraxeris. Etenim cum nihil sit magis contrarium sapientiæ, a qua longe abesse non potest humilitas, quam hæresis, cujus mater & altrix est superbia, stultæ & insanæ mulieris nomen illi maxime convenit, cum stultos efficiat amatores suos; quandoquidem suscipiunt iter sine

duce, ambulant in tenebris, relicta magistra veritatis, quam Spiritus Sanctus, solus optimarum scientiarum magister, docet semper; ancillam Diaboli, ambitione & avaritia ortam, luxuque ac variis jurgiis, & contumeliis auctam amplectuntur, amant, & mordicus defendunt; quos in sui amorem trahit insana illa mulier miserrimos jure appellamus, quandoquidem jam summo bono privati sunt, jam desinunt esse filii Dei, amissa, aut corrupta fide, servi, vel potius filii Diaboli efficiuntur; quidquid intelligunt plerumque ad perniciem suam intelligunt; quidquid moliuntur, quo majorem Dei iram in se concitant, gravioraque sibi supplicia parentur, infelices moliuntur; ut paucis dicam, instrumenta omnia, quæ a Deo tributa sunt hominibus ad cognoscenda, & prædicanda maxima & illustria ejus in genus humanum beneficia, mentem, voluntatem, memoriam, sensus, linguam convertunt sæpe infeliciter, & ad suam, & ad aliorum calamitatem. Clamosa & garrula mulier custodem adolescentis, quam docti homines dixerunt modestiam, corrumpit; qui enim ejus amore semel capitur, omni impudentiæ genere armatus nihil non audet dicere, aut facere; vana persuasione deceptus Sophistarum more, inanem gloriolam aucupans, impias opiniones defendit, nova ipse dogmata confingit, iram Dei, & bonorum virorum quotidie in se magis concitat; inimicus humilitatis, contentionum cupidus dissidia quærit;

rit; eo tempore ſibi videtur vivere, quo aliquid garrit, & in Sanctam Matrem Eccleſiam, in Vicarium Chriſti Romanum Pontificem, in Epiſcopos, in omnes Eccleſiaſticos ordines invehit.

Atque ut jure optimo a gratulatione, hujus libelli exordium ſumptum eſſe demonſtrem, paucis reliqua verba explico, quæ a Sancto Hieronymo hæreſi ſunt miſtice tributa. Illecebris plena a ſanctiſſimo, & doctiſſimo viro hæreſis appellatur. Conſideremus quot illecebris irretiat animos. Hæ ſunt illecebræ, inanis fiducia, qua decipiuntur quidam putantes fore, ut omnes qui crediderint in Chriſtum ſalvi fiant ſine ullis operibus; ſtatim ubi quis dixerit, peccavi, ſine ulla pænitentia ipſi condonata eſſe peccata; ſtultam & ſupervacaneam eſſe confeſſionem peccatorum; majorem partem Sacramentorum eſſe inventum hominum; omnes ceremonias veluti inutilia onera negligentes; decimas non ſolvendas, patrimonium pauperum hæreditatem Chriſti bona Eccleſiaſtica dilapidanda. Quid hoc eſt aliud, quam blanda oratione in vulgi aures influere, animas decipere, tacite invitare ad peccata, ad luxum, ad avaritiam, ad omnem licentiam, omnemque impietatem? Quæ omnia portenta, & multo plura, ſedentes in foribus domus ſuæ, in excelſo Urbis loco, docere ſolitos inſanæ & ſtultæ, de qua loquimur, mulieris amatores, ſcribit idem, quem nominavimus, egregius Doctor Hieronymus: quibus verbis declarat, ut diximus,
hæ-

hæresis matrem esse superbiam, omnesque hæreticos hoc inprimis spectare, ut contra præceptum Christi, Magistri appellentur, sacris tantum Scripturis, & expresso Dei verbo fidem adhibendam prædicent, traditiones Apostolorum non esse magnifaciendas, sacrosancta Concilia, Pontificum decreta nullius esse momenti, ceremonias ab eisdem, Spiritu sancto edocente, institutas sedentes tanquam doctores nugas putent, usumque Imaginum aboleant, omnem Ecclesiasticum ordinem pervertant; & quasi ipsi soli sapiant, desipuerint omnes, qui ante tot secula fuerunt, desipiant etiam quamplurimi sancti, & docti homines qui vivunt, sibi credi postulant tanquam Evangelistis, quasi homo non fuerit Lutherus, homo Calvinus, homo Philippus, homines non fuerint omnes hæresiarchæ, quos ipsi sequuntur. Atque homines certe illi fuerunt facultate dicendi, & scribendi armati, qui cæco errore ducti, & gloriæ cupiditate decepti se ipsos nimium, & res externas amantes aciem Christi deseruerunt, ingrati, & miseri filii Sanctam Matrem Ecclesiam relinquentes, Diabolo se addixerunt: quem horribilem casum, & maximam multorum calamitatem deplorarunt multi docti homines elegantissimis libellis. Laudemus igitur iterum Dominum Deum Nostrum, qui te tanta calamitate liberavit, mentemque tuam ita illustravit splendore sui sancti luminis, ut non sedeas cum multis in tenebris, lumenque potius possis ostendere.

Ego

Ego certe is non eram, qui tibi, aut cuipiam præcepta traderem, præsertim cum doctorum hominum libri multi reperiantur, quibus copiose hujusmodi argumentum tractatum est. Sed tamen in re honesta, aut potius sancta voluntati tuæ obtempero; Gratiano etiam, viro præstanti ingenio, & admirabilissimis moribus, ut dixi, satisfacio; tuum studium benemerendi de Ecclesia alo; nihil aliud quæro. Omnibus hominibus, ut nemo fere ignorat, natura est insitum, ut aliquid agant, tantaque est rerum omnium auctoris, & principis Dei benignitas, & sapientia, ut in singulorum hominum ingeniis quædam semina indiderit, quæ si excolantur, mirabiles fructus afferunt rerum universitati. Sed proh dolor! semina virtutum, & laudabilium artium multis in locis nemo curat excolere; inde fit, ut quemadmodum incuria agricolarum in melioribus etiam agris nascuntur spinæ, ita culpa eorum, qui præsunt, quamplurima ingenia corrumpantur; cumque se ipsos homines cognoscere non didicerint, præcipites ruunt in varias calamitates. Quapropter cum minime ad otium, nec ad inertiam, nec ad voluptatem præclarum animal hominem natum esse omnes facile possint animadvertere, applicatione ad aliquam rem vehementi ingenium alendum est, scientiarum, & artium studio vita omnium est occupanda, adolescentium in primis, quorum ætas in lubrico est posita, & veluti in mari procellis variis jactatur.

Non

Non vitupero studia aliquorum, qui ut de genere hominum benemereantur, & commodius vitam degant, arti medicæ, juris prudentiæ, atque etiam mercaturæ dant operam, sed multo magis sine dubio probanda sunt ea studia, quæ magis ad juvandam Christianam Remp. & ad gloriam Dei pertinent: inter quæ nullum magis Deo placet, nullum magis cum ejus gloria est conjunctum, & cum populi Christiani utilitate, quam id, quod ponitur in extirpandis hæresibus, quandoquidem illis nihil aliud homines moliuntur, quam minuere regnum Dei, augere tyrannidem Diaboli. Quod studium, quamvis sit proprium Episcoporum, quibus a Deo mandatum est, ut eradicent, & plantent, zizanias tollant, cum tamen ipsi tanto muneri satisfacere nequeant, studium illorum, qui in causa Christi, & ejus Sponsæ Sanctæ matris Ecclesiæ operam suam præstant, Deo est acceptissimum. Nam cum de hæresibus agitur, deque extirpandis, aut convertendis hæreticis, de Dei causa agitur, de ejus gloria, quam conculcari ille nunquam permittit; de salute populi Christiani, pro quo venit in mundum Filius Dei, pro quo sanguinem fudit idem Christus Jesus, agitur. Qua de re non sunt audiendæ voces illorum, qui dicunt: hoc pertinet ad Episcopum, atque etiam ad Parochum, ad me non pertinet: quid ad me, reperiantur multi hæretici, nec ne, modo ipse sim Catholicus? Pestis animorum est hæresis; cumque in peste duo sint mala, alte-

alterum quod prosternit, & in paucis horis ad interitum ducit corpora; alterum, quod valde perniciosum putatur, quod inficit: ita hæresis, ingenium, judicium, omnes virtutes, omnia bona, quibus anima prædita est, corrumpit, & animam ad interitum ducit, & servos Diaboli efficit, quodque valde deplorandum est, contaminat, & corrumpit multis rationibus populum Dei, concionibus, libellis, colloquiis, & multis aliis modis. Quare ad tollendum hunc morbum in quibusdam Reip. Christianæ partibus, ad succurrendum tantæ calamitati non unus sufficit medicus, Episcopi tantum munus implere, Inquisitores causam Dei tueri non possunt. Donet necesse est Dominus Spiritum scientiæ fidelibus servis suis, ut causam communem defendant, ægris mentibus, & labe infectis animis opem ferant.

Proinde tu, Nicolae, cum in Patriam tuam, in Regnum Poloniæ redieris, quod perturbatum esse varietate opinionum sæpe maximo cum dolore, & fere cum lacrymis commemorabas, versari debes in hoc, de quo ad te scribo, tollendarum hæresum studio, multo tamen diversa ratione, quam Episcopi, & Inquisitores apud nos facere consueverunt. Nam cum sanandorum morborum variæ sint rationes, variaque a medicis adhiberi soleant medicamenta, quibus idem morbus sanetur; tibi tantum ipsa ætate, & in ipso vitæ genere licebit uti lenientibus medicamentis, hortationibus, precibus,

exemplis, præſertim ex noſtris hiſtoriis ſumptis, argumentis perſpicuis, ſine oſtentatione, ſine contentione, magna modeſtia, & humilitate Chriſtiana. His enim rationibus impudentiæ ſuſpicionem vitabis, & animos eorum quibuſcum egeris, quoſque Deo lucrari ſtudueris, tibi conciliabis. Nihil, mihi crede, huic nobiliſſimo ſtudio, cui te in primis deditum eſſe maximum Dei beneficium eſt, magis obeſt, quam opinio impudentiæ; nihil magis impedit, quominus proſit quamplurimis, quam vel minima oſtentatio, & inanis gloriæ cupiditas. Quamobrem enitere, ut quemadmodum tibi eſt propoſitum curare honorem Dei, & ſalutem illorum, quos a recta via deflexiſſe animadvertis, ita omnem vanitatis ſuſpicionem adimas. Id autem conſequeris, ſi eos, quibuſcum agas, nunquam ad iracundiam provocaveris, ſi te nihil, aut perpauca ſcire profiteberis, ſi eos loquentes non impedieris. Qua in re cujuſque præceptis non indiges; ita enim a natura es formatus, ut illos etiam, quibus contradicis, in tui amorem trahas. Noſti, qui appellari debeat hæreticus, nempe is, qui poſtquam ſacrum Baptiſmum ſuſcepit, & fuit quantum ſit ſatis in Catholica Fide inſtructus, pertinaciter errat contra id, quod ſcit ab Eccleſia Catholica pro fide teneri, ſive oppoſitum veritatis aſſerens, ſive de ipſa veritate dubitans: ex qua deſcriptione colligitur, ſine pertinacia quemquam appellari merito non poſſe hæreticum; errare multos poſſe,

quan-

quandoquidem naturæ noſtræ id eſt proprium, hæreticum neminem eſſe poſſe, niſi qui ab Eccleſia recedens vel minimum in errore ſe pertinacem oſtenderit. Quod cum ita ſit, aptiſſimum erit fortaſſe hoc exordium cum illis, qui in aliquam hæreſim inciderint: erraſſe quamplurimos, & errare quotidie doctos homines; lapſos etiam interdum, Deo permittente, ut imbecillitas humani generis rectius cognoſceretur, Sanctos Viros, quos errores proprios fateri non puduit; fugiendam pertinaciam; errores deponendos. Ad quod argumentum tractandum fortaſſe hi loci erunt aptiſſimi: idem ſentiendum; non ſapiendum plus quam oportet; non eſſe ſerviendum hominibus cum ſimus memores libertatis, qua Chriſtus nos donavit; homines fuiſſe omnes hæreticos, & ipſos quidem perverſis moribus perditos; non eſſe veriſimile Chriſtum proximis tantum annis effulſiſſe, & per tot ſæcula tot millia hominum in tenebris reliquiſſe; Eccleſiam Sanctam Catholicam, Sponſam Chriſti, cujus Vicarius fuit Petrus, & fuerunt omnes, qui legitime ei ſucceſſerunt, Martyrum ſanguine ſtabilitam; eſſe perniciosum conſilium ab ea diſcedere. Hanc pronunciaſſe Arcam Noe, extra quam quis ſalvus eſſe non poterit; hunc eſſe hæreticorum proprium morem, ut ſe invicem jugulent, diu in eadem ſententia non perſiſtant. Hæreſis matrem eſſe cæcitatem mentis, comitem levitatem, & miſeriam; eſſe magiſtram ſeditionis, corruptricem

disciplinæ, adversariam obedientiæ, perturbatricem Regnorum, & Rerumpubl. ministram Diaboli, discordiarum, & calamitatum omnium altricem; nullum Regnum, nullam Remp; quæ hac peste infecta fuerit, stetisse. Quos locos ubi tractaveris, multis argumentis, quæ tibi deesse non possunt, qui præclarum ingenium habes a natura, & in iis studiis plus profecisti, quam ætas tua pati videatur, in viam fortasse, Deo adjuvante, opera tua redibunt multi, fatebuntur se quidem errasse, nolle posthac errare, Catholicos se malle appellari, quam hæreticos. Si quis autem in errore persistat, quinque potissimum rationibus enitendum est illum in viam redigere, Auctoritate Sacræ Scripturæ, Conciliorum generalium, consensu Ecclesiæ, auctoritate Sanctæ Sedis Apostolicæ, & concordia Sanctorum Patrum.

Sed in ea disputatione, in qua adhibentur Sacræ Scripturæ, ad hæreticos convincendos da operam, ut sententias integras proferas, atque illas ab Ecclesia in eo sensu sumptas: quo loco commode posses tractare, non esse cujusvis interpretari Scripturas, quod, si omnes audeant arrogare sibi munus interpretandi, universam Theologiam confundi, & obscurari necesse sit. Si ullo unquam tempore modestia est necessaria, atque etiam fructuosa, est sane eo potissimum, cum de scripto contenditur; nam errare, labi, & decipi cuivis molestum est; molestissimum cum de rebus maximis, hoc est de Religione, agitur, & cum error præsentibus multis con-

convincitur. Quamobrem ætati tuæ fortasse aptius erit, inter domesticos parietes disputare, & locis e Sacra Scriptura sumptis errores refellere; vulgatam editionem a communi populi Christiani magistra Ecclesia adhiberi, recitari etiam a Patribus non ignoras, cujus autoritatem tueri omnes debemus. Quod si, ut plerumque videri solet, loci in Sacra Scriptura inter se pugnare videantur, multis argumentis uti poteris ad ostendendum, dubitationum, & controversiarum moderatricem esse Ecclesiam, a qua qui recedit, semper variis perturbatur erroribus. Magnum inest momentum in illa quæstione, non contineri omnia, quæ cognitu sunt necessaria, & ad salutem etiam pertinent, Dei expresso verbo; sed multa traditionibus Apostolorum, quæ a Domino nostro Jesu Christo manarunt, Sanctæ Ecclesiæ filiis communicari. Quod si quædam subtilia, & parum etiam fructuosa a Pythagora discipulis communicata sunt sine libris, ut majorem Pythagoricæ disciplinæ auctoritatem afferret; mirum non debet videri, cum scriptum sit in Evangelio, multo plura fecisse Dominum nostrum Jesum Christum, quam scripta sint, ita etiam multo plura dixisse, & dilectissimæ Sponsæ suæ, quam proprio sanguine redemerat, per fideles ejus ministros, per Sanctos Apostolos tradidisse; quemadmodum sunt sanctissimi ritus, qui adhibentur in Sacramentis, & multæ præclaræ sententiæ consensu sanctæ Ecclesiæ, & longo usu confirma-

ma-

matæ. Dominum N. Jeſum Chriſtum literarum monumentis nil conſignaſſe legimus, aut ut omnem vanitatis, & temeritatis ſuſpicionem adimeret, aut quia facilius credituros homines cognovit, quæ alii ſuo Spiritu ſcripturi erant. Effundere ejus benignitatis divitias cum voluerit, minime eſt credibile, illis quæ ſcripta ſunt, & quæ in Evangelio continentur, fuiſſe contentum, ſed alia etiam diverſa ratione communicare voluiſſe, ut chariſſimam Sponſam ſuam ornaret, & conſolaretur. Quare ſi quis dicat, hoc in ſacris libris non reperitur, ergo non eſt verum, has, quas attigi rationes, & alias quamplurimas adhibebis ad eos convincendos.

Magna eſt auctoritas Conciliorum, quia in Spiritu ſancto ſunt congregata, qui eſt magiſtrorum omnium doctor, & omnis veritatis interpres. Quamobrem ſi quis forte dubitet, non eſſe expreſſam in Sacra Scriptura Confeſſionem auricularem, aut non agnoſcat tres eſſe partes Pænitentiæ, tu illi oppone locos e Sacra Scriptura, & Concilia; ſi quis de certitudine Gratiæ diſputet, tu decretum ſancti Concilii Tridentini de Juſtificatione recita. Quatuor Conciliis generalibus tantam fidem adhibendam, quantam Evangeliſtis, nimirum quia idem eſt auctor Chriſtus, ſcribit Sanctus Gregorius. Proximium Concilium, quod Tridenti maximo Dei beneficio, Pii IV. Pont. Max. diligentia confectum eſt, quod in primis obſervandum curat Pius V. quem Chriſti Vicarium, & Paſtorem univerſalis

Ec-

Ecclesiæ omnes agnoscimus, & veneramur, continet omnes fere salutares sententias, quibus hujus ætatis hæreses confutari facile possunt, atque etiam Ecclesiæ disciplina potest cognosci. Verum Sedis Apostolicæ auctoritas, hoc est Pontificis Romani decretum, satis est firmum argumentum ad tollendas hæreses. Nam Christi Vicarius Successor Petri errare non potest in iis, quæ ad sanctissimam Christi, cujus vicem gerit, Religionem pertinent, cum etiam sine consilio gravissimorum hominum Romani Pontifices quidquam decernere non consueverint. Verba illa, Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua, pertinent etiam ad successores; quod animadvertens beatissimus Leo, Specialis, inquit, cura Petri a Domino suscipitur, & pro fide Petri supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, si mens Principis victa non fuerit. Quamobrem tuere semper hanc sententiam, Christi Vicarium Pontificem Romanum errare non posse. Hinc tamen Reip. Romanæ orta calamitas, hinc tot schismata, tot hæreses, quod hominum erroribus Sedis Apostolicæ auctoritas comminuta est. Qua de re non est opus plura dicere. Judicia Dei abyssus, quæ silentio suscipienda, atque eo magis Dei benignitas prædicanda, quod interdum malis etiam Pastoribus, se ipsos potius, quam populos pascentibus, grex non perierit, & quod hoc præsertim tempore eum dederit Ecclesiæ suæ, ut modestissime dicam, Pastorem, qui unus nobis maxime hac tem-

pe-

pestate fuisset exoptandus. Consensus Sanctorum Patrum maximam habet vim. Fieri enim non potest, ut si omnes errassent, eos Ecclesia tanto in honore tot annos habuisset. Sed oh dementiam intolerabilem! Gregorius Nazianzenus, qui Theologus est dictus, Magnus Basilius, Vir admirabilis, Chrysostomus doctissimorum eloquentissimus, S. Ambrosius, magister Augustini, B. Augustinus, malleus hæreticorum, S. Hieronymus, doctrina & sanctitate insignis, S. Gregorius Pontifex, Sanctorum Pontificum exemplar, erraverunt, cum scripserunt, invocandos esse Sanctos, & amicos Dei, ut intercedant pro nobis ad Dominum? Cum sequentes verissimam sententiam Jacobi, Fidem sine operibus esse mortuam, factores Legis Evangelicæ vitam æternam consecuturos tradiderunt, nos deceperunt sapientissimi homines? Lutherus, & Calvinus, & fidelissimi eorum discipuli, & admiratores, post tot sæcula, soli sapiunt, soli possunt docere, soli Evangelici soli interpretes Scripturarum, & magistri veritatis habendi? Antiquissimæ traditiones, de quibus discipuli Apostolorum Ignatius, Clemens, & vetustissimi Scriptores scripserunt, sunt fabulæ? Purgatorium multis Scripturæ locis declaratum, rationibus confirmatum, & consensu totius Ecclesiæ receptum, figmentum putandum? Quid moror? impiis militibus, qui non fregerunt crura Christi, crudeliores, speciem pietatis præseferentes, in multas partes scindunt corpus Christi, &
quan-

quantum in ipsis est, horribili quodam scelere illud interimentes, Ecclesiam Dei sua infidelitate, concordia, ac unitate privare nituntur. Charissime Frater (utor dulcissimo hoc nomine, quoniam te fraterno amore diligo, quoniam ejusdem Patris omnipotentis Dei filii sumus, ejusdem Christi, qui pro nobis, & pro omnibus sanguinem fudit, fratres, & eandem agnoscimus Matrem Sanctam Ecclesiam) hæc in animo impressa sint tuo, hæc sæpe inculca tuis Polonis. Unum Deum cum Patrem appellemus, ac principem, & moderatorem bonarum omnium rerum putemus; in unum Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum cum credamus; cum unum Evangelium a quatuor Evangelistis scriptum legamus, unum Psalterium recitemus, unum Amen respondeamus, unum Alleluja resonemus, unum Pascha celebremus, quid causæ est, cur non idem sentiamus? cur velimus sapere plus quam oportet? cur altiora nobis quæramus? Curiositate, ut inquit Tertullianus, non est opus post natum Jesum, nec inquisitione post Evangelium, cui tantum est credendum, quantum præscribit Ecclesia. Apostoli Domini nihil de suo arbitrio: nihil scire, omnia scire est: nervi sunt quidam, & artus sapientiæ, non temere credere.

Sed quoniam, ut maximum est amoris indicium non deserere peste infestos, sed illis præsto esse medicamentis, quia hujusmodi morbi non sine medicorum periculo medicantur; ita etiam

C ma-

maximum eſt charitatis argumentum, ubi cum hæreticis permittitur vivere, eos non fugere, eorum intolerabiles mores ferre, orationibus, hortationibus, diſputationibus eniti, num ad veritatem Fidei redigi poſſint; in hoc enim ſtudio ſine aliquo periculo, & ſine maxima moleſtia, iſta præſertim, qua tu nunc es, ætate, verſari nemo poteſt. Verſaris tamen in nobiliſſimo ſtudio, quod ut facias, donec fructuoſum futurum laborem tuum prorſus non deſperes, te etiam, atque etiam hortor. At quoniam in arte medica nihil eſt magis neceſſarium, quam morbos, & eorum cauſas cognoſcere, omittam dicere quam gravis, & potius exitialis morbus ſit hæreſis; ejus cauſas potius explico, ut facilius remedia invéniri, ac etiam adhiberi poſſint. Cauſa hæreſis eſt peccatum proprium, quare id uſu evenire compertum eſt, ut qui multis vitiis ſint inquinati in hæreſim labantur. Malitia excæcat illos, ut ſcribit Salomon. Cauſæ autem proximæ ſunt, ſuperbia, avaritia, carnis illecebræ. Hæc ideo commemorantur, ut adhibita illa regula, contraria contrariis curantur, ſi quos hæreſi infeſtos agnoveris, ores clementiſſimum Patrem Deum, ut a peccatis liberentur, ab illis ipſi tanquam a veneno abſtineant. Tunc facilis erit eorum curatio. Cum enim Spiritus Sanctus effugiat fictum, nec habitet in anima ſubdita peccatis, inſtruit libenter ſinceram, & nulla peccatorum ſorde inquinatam. Magna ſuperbia eſt ambulare in magnis,

gnis, & mirabilibus ſuper ſe, aliorum omnium judicia, & ſententias contemnere, proprio judicio omnia tribuere. De hujuſmodi hominibus ſcriptum eſt, obſcuratum eſt inſipiens cor eorum, dicentes enim ſe eſſe ſapientes, ſtulti facti ſunt: & Ezechiel Propheta in eadem ſententia ſcripſit, Væ Prophetis inſipientibus. B.Hieronymus hoc in loco hæreticos interpretatur, cum quibus nulla alia ratione tibi agendum eſt, & nullum aliud pharmacum, quoniam acriora adhibere fortaſſe non permittitur, exitiali morbo eſt adhibendum, quam illud, ſi ſæpe humilitatem laudes, Chriſtianarum omnium virtutum fundamentum; proponas in medium illam ſententiam Salomonis, Ubi humilitatem, ibi ſapientiam eſſe; & verba illa D. Gregorii, lumen veritatis, juxta ſententiam Domini, elatis mentibus abſcondi; non eſſe cur umbra, fumus, cinis ſuperbit, & homo brevi vivens tempore, multis repletus miſeriis, ſenſuum tyrannide oppreſſus, ſibi tantum arroget, ut ſibi magis, quam Eccleſiæ tot ſæculorum judiciis tribuendum exiſtimet. Multum etiam proderit ad ſanandum hunc morbum commemorare ex hiſtoriis calamitates, in quas inciderunt ii, qui proprio judicio fræti, dulciſſima matre, in qua majores ſui enutriti ſunt, relicta, relicta, inquam, Sponſa Chriſti, ad inſanam illam, de qua initio hujus opuſculi ſcripſimus, mulierem transfugerunt; quorum præceps conſilium ſecuta eſt pænitentia, & miſeria, ut apud Co-

clæum, & alios quamplurima exempla capere poteris, qui Lutheri, Zuinglii, Calvini, & aliorum hæreticorum infelicissimos exitus monumentis historiarum commendarunt. Quod si ad deterrendos omnes, provinciarum etiam exempla in medium afferre volueris, infelix Græcia tibi argumentandi materiam præbere poterit, quæ cum Christi Vicarium agnoscere noluerit, & ab unitate Ecclesiæ discedere sit ausa, in miserabilem servitutem, quod a me sine lacrymis vix scribi potest, redacta est. Audisti etiam quid Cypri Insulæ, fortasse ob eandem causam, acciderit, quibus calamitatibus opulentissimum illud Regnum sit oppressum, de quo non est necesse scribere hoc loco. Sed, ut scis, de humilitate dicere, ut is, qui a superbiæ morbo sit sanandus, libenter audiat, ac medicamentum sibi accommodet, non facile potest is, qui non sit valde humilis. Quamobrem hac ipsa virtute, cujus multa indicia ostendisti, fac ut te exerceas, illam petas a Domino magnis precibus, de te ipso nunquam, aut raro loquaris, inanem gloriolam in disputationibus non aucuperis, importunas tui laudationes, tanquam dulcia venena, fugias, tibi ipsi minime blandiaris.

Scribit Justinus Philosophus, atque idem Martyr, qui sanguine Christi veram philosophiam confirmavit, Claudio Cæsare imperante Simonem Magum, cujus in Actis Apostolorum Lucas meminit, primum hæresis fuisse inventorem, quia furiosa

qua-

quadam ambitione agitatus pro Deo haberi voluit, & pro Deo, ut esset miserior, habitum, hunc titulum ejus imagini adscriptum, Simoni Deo sancto. Quo morbo cum laborasset post multos annos, ut Arium, & alios hæresiarcas omittam, Lutherus in Germania, & per totum orbem veluti numen coli sibi proposuerit, hominem Evangelicum missum ad ejiciendas tenebras errorum impudenter se esse professus est, qui a suo nomine Lutherani non appellarentur, eos hipocritas, pharisæos, impios, papistas, & execrabiles homines esse conabatur persuadere; tantumque ejus furor, ita permittente Deo propter peccata nostra, potuit, ut illapsus sit in Principum quorundam animos, & totam Germaniam, sed quid dico Germania? magnam Europæ partem superioribus annis minus ipse corruperit. Quod siquis consideret tantarum miseriarum causam, is inveniet non aliis rationibus has tragœdias concitatas, nisi quod Luthero Episcopatus a Romano Pontifice non fuit delatus; quod se, & ordinem suum vir elatus contemni in publicandis Indulgentiis iniquissimo animo tulit. Ambitio peperit Lutheranorum hæresim, eam aluit avaritia, quia dilapidàtio bonorum Ecclesiasticorum est consecuta, & novis Evangelistis Diaboli, pædagogis, ac ministris, magna constituebantur stipendia. Eadem perniciosarum omnium rerum procreatrix, & altrix ambitio, inter Diaboli discipulos, Lutheri amicos, & admiratores, discordiam peperit, ita ut alii Zuingliani, alii Calviniani,

ni, alio nomine alii appellentur. Non legimus a Petro petronianos, a Jacobo jacobinos, nec a Paulo paulianos, sed auditores, & Apostolorum discipulos communi nomine appellatos esse servos Christi; quia ejus gloriam propositam habuerunt: immo a D. Apostolo acriter reprehensos legimus quorundam sermones, qui dicebant, ego sum Cæphæ, ego Pauli, cum inquit, nunquam divisus est Christus. Hoc igitur præcipuum sit pharmacum, quod hæreticis, quorum hæresim ambitionem peperisse noveris, est adhibendum, ut eis sæpe ponas ante oculos, quam misera sit ambitio, quam detestanda, ac fugienda sit superbia.

Ab alia causa idem perniciosus morbus proficiscitur, cui diversum adhibendum est medicamentum, nam quamplurimos avaritia hæreticos fecit, quod innuit Apostolus in Epistola ad Timotheum, cum ait, qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem; radix enim omnium malorum cupiditas, quam quidam expetentes erraverunt a Fide, & inseruerunt se doloribus multis, scilicet, quia divitiis Ecclesiæ studuerunt; quia patrimonium pauperum non recte ab Episcopis administrari judicaverunt; quia agros Ecclesiæ suis patrimoniis augendis ob vicinitatem commodos intellexerunt; quia persuadentes bona Christi, & pauperum esse bona Regum & Principum, ea ratione in animos

eo-

eorum illabi posse speraverunt, ideo dilapidata est hæreditas Christi, patrimonium pauperum consumptum est, decimæ denegari cœperunt quibusdam Episcopis, piaculum existimaverunt clericis non aliquid semper demere. D. Gregorius refert, radix juniperorum cibus eorum ad hæreticorum avaritiam, ex qua peccatorum omnium spinæ produxerunt. Si ista causa laborantes aliquos cognoveris, qua Ecclesiæ adimuntur bona, adempta clero ostende sublata pauperibus, Deo relinquendum judicium contra malos eorum administratores; si quid clero, aut religiosis viris adimitur, id corrumpere patrimonia, illud calamitatem parere tantam injuriam auctori omnium bonorum inferentibus; divites & injustos egere, nihil deesse timentibus Deum; occupationem bonorum Ecclesiæ esse nuntiam servitutis, & omnium miseriarum, quod provinciarum multarum calamitatibus facile tibi erit ostendere. Multas hæreses ab avaritia non solum profectas, sed enutritas esse, & nunc etiam nutriri, prudentes Viri ita sibi persuadent, ut putent multos hæresiarcas stipendiorum causa, quæ infeliciter ipsis nihil aliud quam perniciem animamarum molientibus, publice in Civitatibus decreta sunt, in errore persistere, quæ nisi se amissuros metuerent, resipiscerent, & errores faterentur suos. Nosti locos: nihil esse tam angusti animi, quam amare divitias; brevem esse hanc vitam; illos thesauros quærendos, qui subripi nulla ratione possunt; uni-

unicuique ſtudendum eſſe bene vivere, & ſibi aditum facere fide, & ſanctis operibus ad beatam, & æternam vitam.

Hæreſum multarum, & variarum calamitatum origo, & cauſa eſt pernicioſa illa naturæ lena, & peſſima conſiliaria voluptas, de qua in libro Sapientiæ ſcriptum eſt: inconſtantia concupiſcentiæ tranſvertit ſenſum ſine malitia; ex quo accidit, ut multi in hæreſim lapſi ſint, putantes voluptates eſſe licitas, fornicationem non eſſe peccatum; aut ſe non poſſe voluptatibus reſiſtere. Quam morbi perniciosſimam cauſam animadvertens Paulus ita ſcripſit ad Romanos: Rogo autem vos, fratres, ut obſervetis eos, qui diſſenſiones, & offendicula propter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt, & declinate ab illis, qui Chriſto Domino non ſerviunt, ſed ſuo ventri. Quem locum interpretans Theophilactus, ex ventris ingluvie, & vitiorum ſervitute ortas eſſe omnes hæreſes ſcribit. Et profecto illa hæreſis, quæ docet, nullum, aut ſervum eſſe liberum arbitrium, peccatorum auctorem Deum facit, horribile illud Stoicorum fatum confirmat, leges, & omnem vitæ ordinem perturbat, inde ortum habet, quod multum delectat indulgere genio, voluptatibus difſluere, & ſperare vitam æternam; inde, quia natura eſt inſitum, ut quæ facere non pudet, fateri maxime pudeat, ſtultam, aut ſupervacaneam Confeſſionem, minime neceſſarias alias partes pœnitentiæ contritionem, & ſatisfactionem, dictitant. Quæ portenta opi-

opinionum ſequuntur alia; non eſſe orandum pro mortuis, quippe qui non egeant auxilio noſtro; nullas eſſe Indulgentias; nullam, aut minimam Vicarii Chriſti auctoritatem: hinc illa verba, ſola Fides juſtificat, opera nihil proſunt, immo obſunt ad vitam æternam; neminem eſſe juſtum inhærente juſtitia, ſed eum tantum, cui non imputavit Dominus peccatum. Ad quam graviſſimi, & lethalis morbi cauſam tollendam, dilecte Deo, & hominibus, tua opus eſt induſtria, tua fide, tua charitate, tuo judicio, crebris tuis orationibus, ut det tibi Dominus Spiritum ſcientiæ, ut poſſis etiam ſeniores docere, ægris animis vim morbi ante oculos ponere. Ut autem in hoc ſalutari argumento verſeris, erit admodum utile, ut ſæpe naturam hominis explices; ad quid natum ſit præclariſſimum animal aperias; qua ratione poſt lapſum primi parentis, a quo omnes originem traximus, liberum hominis arbitrium admodum debilitatum, Dei benignitate, Chriſti ſanguine pretioſo, ſit magna ex parte recuperatum; quæ nobis jucundiora ſunt, magis ſuſpecta, ut D. ſcribit Baſilius, eſſe habenda; difficiliora, eſſe pulchriora, & optabiliora; quæ generi hominum magis conducunt, ea divinitus tradita, & veritati eſſe magis conſentanea; Apoſtolos Chriſti, Martyres, ſanctos Doctores, cruciatibus, laboribus, & vigiliis ad beatam vitam perveniſſe; non eſſe abutendum divina clementia; eundem Deum eſſe miſericordem, & juſtum; prodeſſe magis humano ge-

neri, ut tribuatur unicuique ſecundum opera ſua, quam inanem fiduciam, & temerariam æternæ vitæ ſecuritatem prædicare; ideo credendum eſſe Sacræ Scripturæ, conſenſui Eccleſiæ, Sacris Conciliis, & ſanctis Traditionibus, bona opera eſſe neceſſaria ad ſalutem; non eſſe ſatis dicere, peccavi; agendam pænitentiam; Indulgentias, quæ cum in Jeſu Chriſti D. N. meritis fundatæ ſint, ex theſauro Eccleſiæ, & ſanctorum meritis a Vicariis Chriſti fidelibus conceduntur, eſſe magnifaciendas; ſalubre eſſe orare pro mortuis, quandoquidem etſi culpa, cui ob peccata obnoxii erant, Dei miſericordia condonata ſit, pœnæ ut ſatisfiat divina juſtitia exigit.

Dogmata Eccleſiæ, & confutationes hæreſum non eſt neceſſe commemorare, quum extent quamplurimi libri doctorum, & piorum hominum, qui eas complexi ſunt, atque in ordinem redegerunt; quos libros aut tu legiſti, aut certe leges. Scripſit D. Auguſtinus de hæreſibus; ſcripſit eodem tempore, ante Auguſtinum fortaſſe, Epiphanius Epiſcopus Salaminæ Cypri, quæ urbs nunc a Turcarum tyranno magno conatu, magniſque viribus oppugnatur, ingens volumen, quod Pancratio inſcripſit, quod poſtea Theodoretus Epiſcopus in compendium redegit, & in quatuor libellis digeſſit, quos αἱρετικῆς κακομυθίας placuit inſcribi; quaſdam confutavit Divus Hieronymus, aliquas ante ipſos S. Irenæus, quaſdam Vincentius Lirinenſis, qui aureolum decies legendum ſcripſit libellum. Sed omnes comple-

plexus est Alphonsus de Castro, qui certe in illo opere non minimam laudem est consecutus. Extant etiam quædam tabulæ, quibus compendiaria quadam ratione omnes hæreses, quæ ad hanc usque ætatem fuerunt, descriptæ sunt, & ante oculos positæ, atque etiam rationes breviter, & dilucide explicatæ, quibus possint confutari. De Ecclesia multi etiam scripserunt in hanc sententiam, Cardinalis de Turre cremata, Albertus Pighius, & alii quamplurimi; sed fortasse ex Roffense, qui Lutheri hæresim confutavit, atque etiam ex pulcherrimis Cardinalis Osii libris, multa capere poteris argumenta ad præclarum tuum studium alendum. Pulcherrimus sane est ille libellus, de expresso Dei verbo, ac in manibus semper habendus, quo Apostolorum traditiones comprobat, & Sedis Apostolicæ auctoritatem ita confirmat, ut fundamenta hæreticorum magna ex parte ab eo videantur evelli. In illo magno opere, quod est inscriptum, Confessio Fidei Catholicæ, horum temporum hæreses confutatæ sunt, Lutherum, Calvinum, Zuinglium, Anabaptistas, & hujusmodi portenta hominum, veritatis gladio videtur Vir doctissimus ejus auctor jugulasse. Quoniam domesticis exemplis magis movemur, tu Polonus Poloni Cardinalis, quem omnes nationes, & nos in primis Itali admiramur, libros diligenter lege; redige quæ scripsit in capita argumenta ad usum rerum; locos pulcherrimos, quos affert ex historia Ecclesiastica, & ex S.S. Patribus,

commenda memoriæ. Sed in primis cupio, ut elegantissimam illam parænesim, quam in calce operis scripsit, tu, & omnes Poloni sæpissime legatis. Recordemini fidem, pietatem, constantiam priscorum Polonorum; recordemini Albertum, & Stanislaum, quos ille Apostolos Poloniæ nominat; ab eorum pietate non degeneretis.

Verum cum hæresum præcipuas causas explicaverim, atque etiam tibi fortasse notas, & qua ratione essent adhibenda remedia, quoniam restant adhuc aliquæ perniciosissimi hujus morbi causæ, eas commemorabo. Mali concionatores hæresim pariunt, nutriunt, atque etiam augent. Hi discipuli Diaboli nihil aliud student, quam seditiones ciere contra sanctam Matrem Ecclesiam, atque interdum contra Principes; modo ipsi magistri appellentur, & magnis stipendiis eorum impudentia & temeritas alatur, nihil aliud curant. Dabis tu operam, quantum in te erit, si aliqua hujusmodi calamitas illi Regno acciderit, si aliquod hujusmodi monstrum fidelem populum apud vos perturbare aggredietur, ut ejus, quos amas, a consuetudine avertas, arceasque quantum possis; roges ut angelum Sathanæ non audiant, ne se ipsi tanto periculo subiiciant; multo diligentius roges illos, qui gratia, & auctoritate possunt, ut hujusmodi monstra omnia, eorum opera expellantur. Et quoniam, ut scis, Fides est ex auditu, & illi qui Legatione funguntur, auditi cum fructu non possunt, nisi mittantur, hoc tibi maxime

est

est enitendum, ut catholicos concionatores, Dei gloriam non suam quærentes, ames, laudes, honoribus afficias, eorum consuetudine, & familiaritate utaris, ad illos ducas eos, quos gravissimo morbo liberandos tibi proposuisti. Atque, ut ego arbitror, erit admodum utile interdum conferre sententias, & mores illius, quem sequeris catholici concionatoris, cum hæreticis, quandoquidem cum hæresi sæpe soleat esse conjuncta superbia, plerumque avaritia, & inconstantia, quæ vitia longe solent abesse ab iis, qui in Ecclesiastica disciplina versati, sancta aliqua regula se astrinxerunt. Hoc loco homo Italus de Polonis Episcopis, deque illius Regni administratione, non agam: si nullus hæreticus concionator auditur, si optimorum Episcoporum diligentia, verbum Dei explicantibus, & Legatione pro Christo fungentibus non eget istud Regnum, vehementer laudo, tuque multo facilius hæc ipsa, quæ scribo, & multo plura præstabis.

Jam pervenit Oratio ad eum finem, ad quem spectabat, ut ad usum tuum omnia revocarentur, quæ collegi, præcepta. Parentes tui, quibus instrumentis usus est Dominus ut esses, quibus omnia officia debes, non idem fortasse nobiscum sentiunt, non levi fortasse morbo laborant, maximum imminet periculum ipsis, & tibi. Quid igitur facies? Luge primum, deinde ora, tertio obsecra, extremo doce. Luge, Fili Dei, frater Christi, sanctam Matrem Ecclesiam agnosceas, eorum casum, qui aciem

Im-

Imperatoris nostri turpissime deseruerunt, & ab impiis hominibus seducti appellare non possunt amplius Deum Patrem, nec Fratrem Christum, cum Ecclesiam communem Matrem reliquerint. Luge adhuc magis, si eos, quibus omnia debes, in tantam calamitatem incidisse animadvertis. Hic luctus Christiano homine dignus, qui non tam profusione lacrymarum, quam interiori animi dolore definiendus est, non potest non esse fructuosus; nam præterquam quod est bonus magister, qui te docere poterit infirmitates, & calamitates hominum, quod maxime confert ad omnem superbiam vitandam, solet esse condimentum orationis, & plerumque magnam vim habuit apud clementissimum Patrem Deum. Ut enim alia exempla omittam, cum Monicæ, sanctissimæ fœminæ, lacrymæ ita fuerint acceptæ illi omnis sanctitatis largitori Deo, ut ejus filius B. Augustinus diu Manichæus esse non potuerit, quis desperet lacrymarum tuarum parentes misericordiam, & gratiam a Deo impetraturos? Beatos dixit Dominus lugentes. Cum beatos dixit, dixit sapientes, dixit agnoscentes se ipsos, & pericula, quibus expositi omnes sumus, dum vivimus. Sed hæc est adhibenda cautio, ne lugeas ut dolore tabescas, ut crucieris, ut oblitus maximorum, quæ accepisti, beneficiorum non agas gratias Deo; lugeas potius ut ores, ut oratio tua Deo sit accepta. Ora, ut ii, qui te genuerunt, eum qui omnes creavit, tuetur, amat, & cælestem præparavit hæreditatem, agno-

agnoſcant; domus tua ſit domus Dei, & Catholicæ Fidei, eccleſiaſticarumque ſanctionum altrix, & magiſtra; in ea idem ſentiant omnes; unum fateantur Deum, unum Baptiſma, unam ſanctam Matrem Eccleſiam; perverſæ opiniones ex animis omnium eradicentur. A gratiarum actione exordiendas orationes ſanctiſſimi Viri monumentis literarum tradiderunt, quod tu maxime omnium facere debes, qui adoleſcens adhuc variis, & maximis beneficiis a Deo es affectus. Quod autem in Oratione hac maxime requiratur, ut ea petantur, quæ pertinent ad anctificandum nomen Domini, nulla ratione magis Dei gloriam conſervari, quam ſi in Fide Catholica omnes ſtabiles, & firmi maneant, & ſi quis deflexit redeat in viam, nemo non videt.

Itaque ad illum, fidei, ſpei, charitatis, & bonarum omnium rerum, ac cogitationum auctorem Deum, animum intendas tuum, eumque iis verbis, quod fortaſſe facis, ora: *Non peto honores, non enim me latet quantam ſolicitudinem conjunctam habeant; neque etiam humanarum rerum ſcientiam vehementer quærendam arbitror, cum ſapientem legerim qui ſcripſit, qui addit ſcientiam, addit & dolorem. Nihil aliud peto, niſi ut ii, quibus omnia debeo, quibus organis uſus es, ut ego ad te colendum, & amandum, & ad gloriam tuam omnibus ſtudiis quærendam, in hanc lucem veniſſem, vere illi primum Te agnoſcant. Noli pro tua benignitate, me diutius tanto, & tam magno dolore cruciari. Da, ut ejuſdem Filii*

tui

tui dilectissimi Sponsæ, & Sanctæ Matris Ecclesiæ, cujus me filium esse profiteor, filii sint parentes mei. Senes adolescentem audiant, immo Sanctum Spiritum tuum in adolescente loquentem non rejiciant. Petite, dixit dilectissimus Filius tuus, & accipietis. Ecce peto, & magnis precibus peto rem ad honorem, & gloriam tuam maxime spectantem. Concede, benignissime Pater, quod peto; voces meæ exaudiantur; lacrymæ meæ prosint illis, qui tot incommoda, & tot labores in me educando pertulerunt; respondeant illis lacrymis, quas ipsi, dum aliquo incommodo afficerer, pro me profuderunt. In hujusmodi orationibus si aliquandiu versaberis, dabit tibi fortasse Deus spiritum consilii, dabit facultatem dicendi, ita ut persuadeas, ut gravissimo errore parentum animos liberes. Benignus est Dominus, exaudit supplicum preces. Ubi autem oraveris, obsecra. Difficile est, juvenem magistrum agere, atque eos, a quibus erudiri oporteret, erudire, difficile, atque etiam periculosum; sed difficile amanti Deum nihil est; cui a Spiritu Sancto sit edoctus, nihil potest esse periculosum, aut molestum. Obsecra parentes, eo potissimum tempore, quo ipsi tuis sermonibus, & tuo aspectu recreari videntur, ne diutius errent, & ambulent in tenebris. Obsecra, per illum ipsum, quem omnes Patrem appellamus; per Unigenitum ejus Filium D.N. Jesum Christum, qui ad depellendas omnium errorum tenebras verus Magister, ad sanandos orbis terræ morbos verus Medicus venit in mundum;

per

per Sanctum Spiritum, optimum veritatis interpretem, & in nostris calamitatibus verum consolatorem. Obsecra per amorem, quo te diligunt, maximum, per labores, quos pertulerunt pro te, per salutem animarum suarum, per existimationem familiæ tuæ, ut unam credant Sanctam Ecclesiam Catholicam, columnam, & firmamentum veritatis; te in omni vita fore miserrimum, nisi ipsi redierint in gremium dulcissimæ Matris; generis nobilitatem, divitias, affinitates te non magnifacere, si Catholicæ Fidei hæredem te non reliquerint. Obsecra, increpa cum omni patientia, cum omni humilitate, atque etiam interdum cum lacrymis; cumque sua cuique placeant, & nihil videatur esse tam parentum, quam filii, usuque evenire soleat, ut aspectu filiorum, sermonibus, vitiis etiam interdum, parentes delectentur, aude; magistri adolescens personam indue.

Quid doceam, inquies, hac ætate, cum ipse maxime doctore egeam? Doce, id tenendum esse, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; universitatem, antiquitatem, & consensionem sententiarum quærendam; vetustatis castissimos limites non esse prætereundos; bene fundatam antiquitatem scelecta novitate non esse subruendam; prophanam hæreticæ curiositatis libidinem fugiendam, retinendam antiquitatem, explodendam novitatem; illum esse verum, & germanum catholicum, ut Vincentius Lirinensis scripsit, qui

Ecclesiam, qui Christi Corpus diligit, qui divinæ Religioni, qui Catholicæ Fidei nihil præponit, non hominis cujuspiam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non philosophiam, sed cuncta despiciens, & in fide fixus, & stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam tenuisse cognoverit, id solum tenendum, credendumque decernit; quidquid vero deinceps ab aliquo præter omnes, vel contra omnes Sanctos, novum & inauditum subinduci senserit, id non ad Religionem, sed ad tentationem potius, senserit pertinere: hoc nomen Catholicum esse nobilissimum, hoc ad veram, & solidam laudem maxime pertinere; non solum Timotheo a B. Paulo dicta esse illa verba: depositum custodi, devita prophanas vocum novitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, sed dicta esse omnibus Episcopis, populo christiano universo. Deposuit universitas, deposuit vetustas, deposuit consensus Sanctæ Matris Ecclesiæ verissimas sententias? custodiendæ sunt; cavendum est, ne diversitate opinionum, novitate, & dissensione depositum amittatur, & perturbationes oriantur. Vitandæ sunt prophanæ vocum novitates, sola Fides justificat, liberum arbitrium non est liberum, sed servum, & hujusmodi opinionum portenta (sæpe utor his nominibus, quia magis propria non invenio). Vis paucis dicam? Doce, unam esse sanctam Ecclesiam Catholicam; unam, quia ubi non est unitas, non potest esse perfectio, quia ut una do-

domus ab uno patrefamilias, unus exercitus ab uno Imperatore, unum regnum ab uno Rege administratur, ita unam Ecclesiam ab uno Christi Vicario regi, & administrari decet; Sanctam, quia Christi sanguine firmata, & stabilita est; Catholicam, quia per totum orbem diffusa est. Hæc magistra, hæc arbitra docuit, docet, & docebit omnia. Hæc B. Cyprianum doctorem, & martyrem; hæc Gregorium Nazianzenum, Basilium, Chrysostomum, B. Ambrosium, S. Augustinum, Hieronymum, & Gregorium Pontificem; hæc Hilarium, Theodoretum, & quamplurimos alios sanctos doctores erudivit; hæc Concilia absolvit; hæc D. Thomam doctissimorum hominum sanctissimum; hæc Bonaventuram, virum doctrina, & pietate insignem, & alios eximios doctores, qui, Aristotelica arte adhibita, res sacras docuerunt, docuit; hæc alit multis jam sæculis salutari cibo innumerabiles Dei servos. Doce, ab hac Ecclesia Catholica Romana nunquam recedendum, insanorum hominum voces minime audiendas, quibus tacite clamant ac si dicerent: *Venite, o insipientes & miseri, qui vulgo Catholici vocitamini, & discite fidem veram, quam præter nos nullus intelligit, nuper vero revelata, & ostensa est; sed discite furtim, atque secreto, delectabit enim vos*. Quibus verbis, quem nominavi, Vincentius, descripsisse videtur Lutherum, Calvinum, Melancthonem, & hujusmodi homines sibi nimium placentes. Hæc est summa, hoc est compendium bonarum om-

 nium

nium ſententiarum , ut credamus unam ſanctam Catholicam Eccleſiam. Si quis in hac veriſſima ſententia conſentiat, errare quidem interdum is poterit, hæreticus nunquam eſſe poterit.

Verum, poſtquam fleveris, oraveris, obſecraveris, ac demum ubi doctoris etiam partes egeris, ſi lacrymas tuas, ſi orationes tuas nihil prodeſse, ſi obſecrationes, atque etiam doctrinam nullum fructum afferre ad pernicioſum morbum tollendum animadverteris, fuge, frater, attende tibi, conſule ſaluti tuæ. Vera fuga, non clericorum ſolum, ut B. ſcribit Ambroſius, ſed omnium, qui ad vitam aſpirant beatam, eſt abdicatio domeſticorum, & quædam alienatio chariſſimorum, ut ſuis ſe abneget qui ſervire Deo geſtit. Fuge periculum, ne incidas in illud. Tranſi, ſicut Deo dilectus David, qui tranſivit, ut recumberet; tranſi ſicut Moyſes, ut tandem videas Deum Abraham, Iſaac, & Jacob, & videas viſionem magnam. Sed ſi videre vis, ſolve calciamentum pedum tuorum, ſolve vinculum iniquitatis, ſolve omnia vincula ſæculi, amorem patriæ, blanditias parentum, affines, dulces amicos, divitias, honores, & quidquid inſanus admiratur mundus. Tranſi, & veni, immo redi, frater, in Italiam, in illam, quam tantopere diligis, quam ſæpe laudas provinciam; in urbem Romam, ſedem Eccleſiæ, quæ eſt columna, ut dixi, & firmamentum veritatis, veluti in portum te recipe. Si omnes deſeruerunt te, Dominus aſſumpſit te, ut dice-

re

re conſueviſti. Multa te ad videndam urbem Romam hoc potiſſimum tempore poſſunt impellere, & quod eſt Mater,& altrix incontaminatæ Religionis,& quod in ea hoc Pontifice Pio V. Eccleſiaſtica diſciplina in priſtinum candorem videtur reſtituta. Nutrix ingeniorum, magiſtra judicii, ineptiarum expultrix, honorum, & dignitatum diſpenſatrix,& omnium gentium Mater urbs Roma appellari conſuevit. Hanc ubi videris, te amabit, te ſuſcipiet ut filium. Neminem, in quo veſtigium veræ virtutis apparet, non fovet, non amplexatur benigniſſima Mater. Alia etiam te juvenem ad res præclariſſimas natum,& nobiliſſimis ſtudiis deditum maxime debent invitare ad urbem Romam cogitandam; quod in ea reperiantur in omnium ſcientiarum,& virtutum genere præſtantes viri, quos non commemoro, quoniam nec meo, nec ullius teſtimonio illorum virtus indiget. Præterire certe non poſſum Gulielmum Cardinalem Sirletum, Virum pietate, humanitate, & multiplici doctrina præſtantem, quem nemo adit (aditus autem ad eum patet omnibus) quin doctior, atque etiam melior recedat. Hunc de variis rebus loquentem audiens, novum quemdam Hieronymum te audire judicabis, nihil enim non legit, nihil non habet in promptu, nihil non affert in medium, quod ad humanarum, divinarumque rerum cognitionem pertineat. Quod ſi diſcendæ inanis philoſophiæ cauſa multi apud veteres longa itinera ſuſceperunt, quod

iter

iter tam longum suscipi jure non debet a minime occupatis hominibus, ut cum eo Viro loquantur? Mihi certe nihil potest esse jucundius memoria illius temporis, quo humanissimis, & doctissimis ejus sermonibus licuit interesse; ita ut me Syrletum, tunc minime Cardinalem, sæpe allocutum magnum Dei beneficium existimem. Collegium Cardinalium, atque etiam urbem Romam illustrat Cardinalis Clarevallensis, cujus admirabilem doctrinam, & vitæ sanctitatem optimi, & doctissimi Viri admirantur; cum illo viro veluti cum successore dignissimo, & legitimo B. Bernardi Abbatis, licebit habere sermonem. Stanislaum vero Cardinalem Varmiensem, lumen Poloniæ, lumen etiam Ecclesiæ, lumen urbis Romæ, non sine magna voluptate intueri poteris, & domestico exemplo commotus, certo scio, ad veram Religionem retinendam, & ad omnes labores pro Sancta Ecclesia perferendos excitaberis. Quid de Cardinale Commendono dicam, Viro præstantissimo ingenio, & multiplici rerum usu, qui te paterno amore diligit, qui magnam de te, hoc est de tua constantia, & studio erga sanctam Matrem Ecclesiam, opinionem concitavit, & cum incidit sermo, concitat? Hunc cum vides, non est cur paternum officium desiderare possis. Ejus domus tibi patet, & semper patebit, ut paterna; rebus suis ita uti potes, ut patris, cum de te, hoc est de anima tua, de studio ergo Catholicam Fidem Vir Religionis amantissimus sit maxime sollicitus.

Abun-

Abundat urbs Roma bonis institutis & legibus, abundat copia sanctorum hominum, frequentia sanctissimorum Sacramentorum se ipsos in hujus vitæ peregrinatione sustentantium, quorum mores cum ad Angelicam naturam videantur accedere, prosunt plurimum illis, qui Romæ vivunt. Cujusmodi autem sint homines, qui Romæ hoc Pio V. Pontifice habitant, Pater Franciscus Toletanus, vir doctissimus, & innocentissimus tibi indicare poterit.

Verum si urbem Romam ingenio, & studiis tuis minime aptam existimas hoc tempore, & ista tua ætate, Patavium iterum cogita. Redi in illam Civitatem, in qua te nemo non diligit, in qua, cum aliquot annos vixeris, omnibus discedens tui desiderium, & jucundissimam virtutum tuarum memoriam reliquisti. Favebit ingenio, & studiis tuis, & multa erga te benevolentiæ testimonia dabit optimus illius Civitatis Episcopus; cui Civitati bonarum artium, & disciplinarum altrici, cum scias propinquam esse Veronam, uti poteris interdum hoc cælo, minime sane infelici, & meorum etiam Veronensium consuetudine, quibus certe, ut modestissime dicam, non deest ingenium, non deest doctrina, & multarum rerum cognitio. Loci amœnitatem, ut scis, non desiderabis; quo in loco sanctissimus Vir, qui deinde fuit Pontifex Paulus IIII. aliquot annos habitavit. Poteris & tu cum libris, quandiu volueris, degere. Sed antequam fugias,

ut

ut dixi, luge, ora, obſecra, doce; & ſi tibi omnino fugiendum eſt (qua in re adhibe conſultorem te ipſum, hoc eſt conſcientiam tuam, & ampliſſimum Cardinalem Commendonum, nunc apud vos Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatum) fuga tua incipiat a lacrymis, ut ejus exitus ſit gaudium; & fugiens ſpera futurum fortaſſe, ut rediturus ſis in patriam, magno cum gaudio, & cum ſalute illorum, quorum ſalus tibi in primis eſt curæ. Potens eſt enim Dominus, & omnia, quæcunque voluit, fecit, & plerumque differt bona, quæ petimus, concedere, ut ex dilatione majora oriantur commoda, atque inde ipſius gloria major appareat.

FINIS.

